judicare ~~putet~~ sibi persuadeat, ac majorem quidem natu eos, qui gratiam primam servaverit, neque donum istud perdita ita contemtui habuerunt, minorem contra eos, qui præ bonis tula præoptarunt, atque ad perniciem opes suas converterunt.; sive alterum quidem angelorum, alterum vero hominum significare statum atque defectionem judicet; sive mani- quomodo autem tu velis?) illos qui ~~sub~~ legi Gratiæque subjecti fuerunt, significari; haud minus clare atque manifeste ex omni parte ~~hic~~ ostenditur, ex eadem paterna et bonitate et essentia esse et Angelorum et hominum genus, Legemque et Gratiam, atque etiam humanam naturam; etiamsi altera quidem pars ingenitum suum servaverit, altera hoc munere perniciem potiorem habuerit. Atque id quidem in hac parabola imprimis est et utilitatis plenum et admiratione dignum, quod, si quae ex tribus hisce potior ratio habeatur, haud minus, quam si simul omnes pari modo vincerent, impietatis audacia prosternitur. Sed perinde prosterni poterit iis, quibus Scribas atque Pharisæos Judæorum miseros judicabat Christus, quoniam nimirum leges ipsis datas parum curabant, multoque potiora haberent a se excogitata. Væ, enim ait, vobis, duces cæci, dicere soliti, qui ~~in~~ per templum juraverit, nihil est, at qui per aurum templi juraverit, is debet. (id est pœnæ reus est, tanquam perjurus. Tum deinde post, (advertite magnitudinem erroris vestri, nunc certe, si minus ante hoc tempus id facere voluistis) Adjungit enim ad illa, quibus jam invectus in eos erat, et hæc. Stolidi ac mente capti, utrum majus est, ~~an templum~~ aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Ut non solum in se sanctum pronuntiet Legis templum, sed fontem quoque sanctitatis idem et judicet et appellet. Ac Salvator quidem

ejusmodi ~~[illegible]~~